UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

33. De 7. verbo. Pater in manus tuas. Mat. 27.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

nobis deſit in vlla gratia, Eccleſia noua cum nouo ſacrificio, nouis ſacramentis, & legibus erectā, & miſſione Spiritus ſancti in æternum confirmata. Sanctorū in limbo deſiderium completum. In malis quoque odium Iudæorum eſt finitum, imperium diaboli euerſum, vires eius fractæ, in abyſſo catena cōſtrictus, nil amplius metuendus, ſed etiam puerulis irridendus. Tu ergo poſt tanta beneficia, ne ſis ingratus, ſed conformes te eius voluntati. *Voluntas enim eius eſt ſanctificatio noſtra,* vt loquitur Apoſtolus.

1 Theſ. 4.

MEDITATIO XXXIII.

De ſeptimo verbo Domini in cruce. M 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

1\] IESVS *magna voce clamans ait.* Conſidera, Chriſtum, quoties Patri pro ſe locutus eſt, exclamaſſe; ad alios vel pro aliis non item, vt diſcas magno affectu cum Deo agendum, & non aridè vel frigidè; deinde vt ſcias illo momento ad omnium dolorum culmen peruentum fuiſſe. 2. Conſidera, cur clamarit orando, nēpe vt indicaret ſe vitæ mortiſq; Dominum, *nec niſi vocata,* inquit Nazianzenus, *mors auſa fuiſſet ac-*

In Chriſto pariēte.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſet accedere 2. vt Deum patrem ad commiſerationem pro totius mundi peccatis flecteret omnium. enim peccatorum perſonam in cruce ſuſtinebat 3. vt ad infernum vorpenetraret, quæ ibi exhilarauit Patres in limbo, ſed perterrefecit dæmones. 4. vt corda omnium hominum ad pœnitentiam commoueret.

Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Cōſidera Chriſtum Scripturæ verbis orare, vt te doceret non tuo iudicio & ritu Deum colere, ſed illo quem à Spiritu ſancto dictata Scriptura, vel ab eodē docta Eccleſia tradit. 2. conſidera eum non oraſſe, vel metu iudicii, & inferni, vel quod indigeret commendatione apud Patrem, ſed vt doceret te inuictum ab oratione ſpiritum non relaxare, ſciresque omnes pios hac oratione Deo cōmendatos. Hos enim ſpiritus nomine compellat Dominus, qui eius ſpiritu ſunt imbuti. *Qui* inquit, *natus* Ioa 3.
eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt. Si autem nos Chri- 1 Pet.
ſtus commendat Patri, decet & nos eidem 4.
animas commendare in benefactis. 2.

Et hæc dicens, inclinato capite tradidit ſpiritum CONSIDERA inclinaſſe caput vt indicaret, quam graue onus peccatorum ſuſtinuerit. 2. quam pauper fuerit, 3.

non habens etiam in morte, vbi caput reclinet. 3. vt tibi ſuggerat quanta ſint crucis commoda. 4. vt precibus tuis merito paſſionis ſuæ nitentibus annuat. 2. Conſidera cum tradidiſſe ſpiritum tũ Patri in tertium diẽ aſſeruandum, tum nobis. Dederat enim nobis ante corpus ſuum, ſanguinẽ, veſtes, reſtabat vt daret & animã & pretium redemptionis noſtræ fieret perfectum. Vt diſcas te tuum non eſſe, ſed Christi, quia ſuis membris, tua, ſuis potentiis tuas, ſuo corpore tuum, ſua anima tuam mercatus eſt ſibi & redemit.

MEDITATIO XXXIV.

De ſignis mortem Chriſti ſecutis Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

1. ECCE *velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum.* Conſidera Chriſto ſpiritũ cum clamore emittente omnes creaturas ingemiſcere, ac ſi cum conditore ſuo vitæ finem faciente, & ipſæ deficere velle viderẽtur. Omnes, hominibus præ metu tacentibus, in vltioné impiorum ſe paratas exhibent, Deoq́; ſuo etiam viſcera offerunt. 2. conſidera velum tẽpli ideo ſciſſum, quia morte Chriſti omnia